Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799
Seite 245
Quelle:
Copyright:

CLXI.

U. 240 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 274. f. per duas columnas non una manu, bene tamen perſcriptus, minio diſtinctus et quondam, ut praenotatur, *Jacobi dicti Sopweyn ex Olmuncz predicatoris in Noua Ciuitate*, dein *D. Johannis Raskuli Carthuſiani prope Dolan*, nempe *Moraviae*, *D. Thomae Aquin. Catenam* auream, ſed in ſolum *Matthaeum* continet ab Exemplo mox adlato nihil abludentem.

CLXII.

R. 3306 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 197. f. maj. per duas columnas charactere minore, atro, ſplendido perſcriptus, coloribusque illuſtratus amplas in *Matthaeum* primum, tum in *Lucam Poſtillas* continet, quarum priores ineunt: *Quattuor ſunt minima terre* &c. poſteriores vero: *Vidi et ecce quattuor quadrige* &c. Ad calcem Codicis legas: *Expliciunt poſtille ſuper Lucam Secundum fratrem Hugonem de Sancto Jacobo.* Variis Vir hic ex Ord. Praed. ad purpuram cardinalitiam promotus, primus *Concordantiarum* biblicarum deſignator, et a. 1262. extinctus cognominibus a Librariis mactatus eſt. Audit enim *Hugo de S. Charo*, vulgo *de Saint Chers*, *de S. Theuderio*, ſeu *Theoderio*, vel *Theodorico*, *de Vienna*, et a commoratione in Conventu Pariſino *Jacobita*, aut de S. *Jacobo*, uti videre eſt apud Ord. Bibliothecarios T. I. p. 194. ubi etiam enumerantur Operis, quod prae oculis habemus, Editiones.

CLXIII.

U. 144 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis, Folior. nunc 134. f. per duas columnas exaratus et rubro pernotatus eſt *Catena PP. in D. Matthaei Evangelium*, de qua Εισαγωγης principium deperiit, ita, ut nunc prima ſit *Auguſtini de Haereſ.* autoritas: *Sabellium diſcipulum noeti quidam perhibent qui dicebat Chriſtum eundem et patrem et ſpiritum ſanctum.* Initium ipſius Expoſitionis eſt: *Liber generationis ihesu chriſti filij dauid. non ergo liber euangelij ihesu chriſti ſed liber generationis* &c. Expoſitio porro depromitur ex *Auguſtino*, *Gloſſa*, *Cyrillo Alex. Leone*, *Remigio*, *Ambroſio*, *Johanne Chryſ. Hieronymo*, *Rabano*, *Hilario*, *Gramadio* (Gennadio) *de eccl. Docum. Origene*, *Beda*, *Sulp. Severo*, *Theodoro Abucara*, *Petro Alphonſo*, *Gregorio M. Gregorio Nyſſ. Theophilo Alex. Pſeudodionyſio*, *Maximo* &c. *Bernardum* tamen non reperi; unde de *Catenae* hujus aetate, quemadmodum e reliquis de praeclaro Collectoris ſtudio, adparatuque librario concludi poteſt. Finit ille in *Leone* his verbis: *qui ſurſum inuitat ad gloriam, cuius glorie participes nos faciat ipſe chriſtus rex glorie qui eſt deus benedictus in ſecula ſeculorum Amen.* Succinente Librario: